



## **Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas**

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]  
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum  
tractatione.

Jn Omnes Totivs Anni Dominicas Æstivas, à Festo Pentecostes vsque ad  
Aduentum

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

In Dominicam SS. Trinitatis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56306)

CONCEPTVS THEOLOGICI  
IN DOMINICAM SS. TRINITATIS.

Partitio.

- I. De notitia Dei generatim.
- II. De unitate Dei, an sit, & unde cognoscatur?
- III. De modo duplici cognoscendi Deum.
- IV. Fides de SS. Trinitate qualis esse debeat, ostenditur.
- V. De SS. Trinitate ex S. Scriptura & natura veritas manifestatur.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Matth. 28.

FIGURA.

Omnia aquarum reconditoriū ac thesaurus generalis Oceanus, in duos se sinus diffundit ac velut exonerat; quorum vnum, Mare mediterraneum, alterum Mare Rubrum Cosmographi nuncupant. Ad eundem etiam modum magnus ille Pater æternus, Oceanus, inquam, fons, in irium, ac scaturigo omnis diuinitatis, in duas alias se personas, velut in duos sinus marinos, exonerat, id est, communicat, in Filium scilicet, quem Rubrum Mare denotat (*Dilectus meus candidus & rubicundus*. Et alio loco: *Quare rubrum est vestimentum tuum?* aiunt apud Isaiam Angeli) & in Spiritum sanctum, cuius Mare mediterraneum; figura, quod medium inter diuinas personas locum occupet, vt qui Patris & Filij vinculum & amor, quæ tres personæ sunt in vnica & eadem essentia. In cuius rei figuram œconomus Pharaonis in somnis vineam, è qua tres pullulabant propaggines, vidit; equidem per vineam hanc diuinitatem & per propaggines, tres personas quæ inde emanant representari crediderim. *ô mirabilia! ô mysteria!* at in primis sanctiss. Trinitatis, quæ vnus in essentia vnitate Deus, & in personarum pluralitate trinus; tres personæ, quæ non nisi vnicum Deum, vnum Creatorem, eundem summum Monarcham, eundem omnipotentem, & vnum tamen Deum tribus personis distinctum, per-

Can. 5.  
Esai. 30.

1749.

sonisque à se inuicem differentibus constituantur; Pater enim non est Filius, nec Filius Pater; Spiritus sanctus vero nec Pater, nec Filius: Eadem trium essentia, relationes particulares. *O Trinitas!* ô mare! ô abyssi! te vbi ingredior exalbescō, te cum cogito expallesco; loquentem deficit vox, & caprum excedit materia. Non igitur nisi tremens ac formidans ad eam accedam, non nisi admirans de eadem loquar, & humilitatem eloquentiæ loco adhibebo. Quamobrem omnipotens Pater, verbum æternū, gloriose Spiritus sancte, Sanctissima Trinitas vnus Deus, cum vester hic honos ac diuinitas in scena versari debeat, orationis meæ cymbam dirige, tuque sacratissima Virgo, vnus harum personarum genitrix, & toti SS. Trinitati grata acceptaque, quæque stella maris ab Ecclesia dicitur, in hoc nobis Oceano velut Pharos & Cynosura appare, & benignū propitium que te sidus exhibe. In hunc itaque finem, antequam linguam & eloquium expandam de huiusmodi materia acturus, genua in terra prostrati, sanctissimam Trinitatem adoraturi curuabimus, simul Angelica te salutatione compellaturi:

A VE MARIA.

Simonides Philosophus, referente in libro de deorum natura Tullio, interrogatus ab Hierone Siciliae Tyranno, quidnam Deus esset, triduum sibi ad deliberandum postulauit: quo euoluto, decem, ac deinde triginta dies petiit; cumque tandem tyrannus quæstionis solutionem importunius peteret, ait: *Quo diutius considero, eo mihi res videri obscurior & intricatior.* Deique natura omnem humani ingenij caprum excedit, nec mortali bolide profunda hæc abyssus metiri potest. Hic enim ingenium & mens terrena succumbunt. Quod olim Philosophus hic de Dei vnitate inter Ethnicos dixit, ipse potiori hodie iure inter Christianos, de Deo vno & in personis trino asserere possum. Nam vt vobis quis qualisve sit dicam, non tres, non decem, non triginta; vt Simonidi dies sufficerent, sed mille & mille anni, & amplius, ac tum etiam libere profiteri possem, quo diutius rem perpendo, eo mihi eandem

Simonidis dictum.



eamdem videri obscuriorem, meque post longam indagacionem ignorantiorum futurum ac minus cognitum: Hac enim humani ingenii caput longe transcendit. Ita hoc metaphoricis verbis testatur est Apostolus *Lucem*, inquit, *habuit inaccessibilem*. Quasi diceret, tam sublimis Dei cognitio est, adeoque accessu difficilis, illius ut splendor & lumen humanum ingenium offulcet & omnem terrenorum conceptum transcendat.

Iob Propheta hanc ipsam materiam tangens ait, *Deus magnus vivens scientiam nostram*; id est, tam incomprehensibilis est Deus, eiusque maiestas adeo inaccessibleis, ut perfectionem illius diuinorumque attributorum cognitio scientiam nostram exsuperet, nullamque in mundo philosophiam aut metaphysicam reperire sit, quæ ad fundum illius pertingere, imo ne littora quidem eius legere possit. Eiusdem sententiæ erat & Plato, qui scripto prodidit, quod rotas in Academia docuerat, *Genitorum opificemque universi*; *Et difficile est inuenire, Et inuentum impossibile explere*. In quam rem egregios conceptus producam.

Minorum  
Mysterio-  
rum co-  
gnitio ob-  
scura.

Sponsa dilecti sui perfectiones & merita recensens inter cetera ait, caput illius est aureum, capillos palmarum instar erectos & corui in morem nigros: *Caput eius*, inquit, *aureum optimum, coma eius sicut elata palmarum, nigra quasi coruum*, &c. Sponsus hic imaginem verbi æterni gerit, caput aureum diuinitatem denotat, comæ attributa ac perfectiones; dicere autem instar palmarum ramorum illas erectas, & coruorum instar nigrescere, dicere est, attributorum ac perfectionum diuinarum cognitionem adeo altam & sublimem esse, mens humana ad illam ut nequeat pertingere, itaque nigram & obscuram, ut oculi ingenii hominum & Angelorum penitus occurrant ac caligent.

Isai.

Isaias Propheta postquam Deum sublimi in folio confidentem vidisset, & Seraphinos circum undique astantes, & magna voce ter clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; prodigiosam quamdam concussionem quassationemque subiecit, *Et commota sunt super limina caridum à voce clamantis, Et domus re-*

plata est fumo. Scio literalis sensu per fumum Fumus ob hunc Iudæorum excecationem post Christi secura cognitionem denotari, ut S Hieronymus interpretatur. Sed dicendum etiam est, per fumum hunc densiorem, obscuritatem cognitionis quæ in hac vita de Deo quidem haberi potest, ac præsertim mysterii SS. Trinitatis, quod Seraphini ter *Dominus Deus exercituum* imaginantes designarunt, denotari.

Et sane cognitio hæc in hac vita obscura est, ipsa meris oculis nostris fumus, caligo, & densissima ingenio tenebræ. Agnouisse hoc visus est Dauid, dum dixit Deum in tenebris delituisse. *Posuit tenebras latibulum suum*, quasi diceret, Dei magnitudo, mirabiliumque illius maiestas adeo inuoluta est, itaque in tenebris delitescens, ut ingenia humana difficulter admodum eandem inuestigare inuētamque cognoscere & intelligere non possint. Quis enim in densa nocte videat, quis in tenebris & caligine quid cognoscat, discernat, diiudicet? Hoc enim caput, ingenium & mentem humanam transcendit.

Egyptii  
Deum per  
crocodilū  
denotabant.

Egyptii inter plurima fabularum inuoluta Deum declarare volentes, crocodilo eundem expressere. Nec id omnino indecore. Hoc enim animal lingua caret: ac proinde designare volebant; quemadmodum nullum in mundo ingenium perfecte Deum potest cognoscere, ita nullam reperiri linguam, quæ dignis cum verbis exprimat aut eloquatur. Ita credit Iob, temerariumque putat illum qui hoc efficere molitur: *Excelsior celo est, Et quid facies? profundior inferno, Et unde cognosces? longior terra mensura eius, Et latior mari*, &c. Quibus verbis efficere vult magnitudinem Dei ingenium & intellectum humanum transcendere.

Iob 22.

Idcirco iidem Egyptii, qui omnia teste Corn. Tacito & Strabone Hieroglyphicis ut Deum litteris exprimebant, Deum repræsentaturi, hominē pingebant: vultu graui & modesto, cuius ab ore ouum prodibat, Hyacinthina toga indutum, aureo limbo circumdata; manu vna sceptrum præferentē, altera circulū, Zonæ affixum, caput penna sublimi elatæ decorabant, oēs hæc ornamenta circūstantiæ magna mysteria denotabant; primo hominē pinxerant, quod homo vera Dei imago sit;

ouum.



ouum mundi imaginem gerebat, qui globosa forma illius ab ore exierat, illius enim verbo erat conditus: *Dixit & facta sunt, &c.* vestis Hyacinthina cœlum designabat, sceptrum dignitatem regiam, circulus prouidentiam; pennæ vero, magnitudinem & maiestatem Dei, omniaque eius mirabilia tam sublime euolare, mentes nostræ ut eo nequeant pertingere, humanusque intellectus hic caliget. Laudandi igitur sunt Ethnici, quod mundo hoc persuadere sint conati, temerariumq; iudicari, quid qualisque sit diuinitas inquirere. Equidem iis libens assentior, summoque discrimini expositum credo, nimis profunde omnipotentis arcana expiscari velle, & diuinitatis adyta temere adire qui præsumit, oceanum naufragio obnoxium nauigare.

Angelus cœlo descendens Ezechieli Prophetæ torrentem latum & violentum ostendit, eumque ut transiret imperauit: cui Prophetam morem gerens, aquam ingressus est, sed initio vix talos madefecit; vterius cum procederet, ad genua vsque aqua peruenit; progressu paululum ad vsque renes: At cum vterius etiam progredi vellet, tam alte aqua intumuit, ut in submerisionis periculo versaretur; cumque torrentem transire nō posset, regredi coactus fuit: Nam teste scriptura, *intumuerant aquæ profundæ torrentis, qui non potest transuadari.* Cum profundum hunc torrentem ingenio meo vrinor, videre hic quamdam diuinitatis imaginem videor; dicoque primo dum eundem ingredimur ad cognoscendum nonnisi vnum Deum esse, facillimum hoc factu esse; at dum vterius procedimus ad cognoscendum illum totius vniuersi conditorem esse, quique omnia è nihilo creauerit, aqua intumescit & ad vsque genua pertingit: denique cum nec hic subsistere animus est, sed eum ut Redemptorem cognoscere cupimus, quando hominem induit, in cruce moritur; aque mortuis ad vitam rediit, inflare hic & insurgere torrēs & abyssus profundescere incipit, adeo ut ad renes vsque perueniat; sed demum etiam longius prouehi velle, ad sanctissimam Trinitatem peruenire, & trinis in personis vnum Deum cognoscere, Patrem, Filium & Spiritum

Sanctum penitus fieri nequit: hic siquidem gurges intumescit, hic submersio metuenda. Torrens enim hic nimis profundus est, hic præceps abyssus, hic vorax charybdis, quæ vadari nequit.

Quotnam hoc in oceano misere iacturam fecere, quotnam naufragium passi? Arrius, quod fidem ducticem non assumpsisset, misere periit, dum Patrem Filio maiorem diceret; Macedonius hic naufragium fecit, quia Spiritum sanctum nonnisi puram creaturam asseruit; Sabellius ab vndarum vorticibus abreptus, funestum finem nactus est, dum tritū personarum discrimen ac distinctionem negat, alique plurimi, qui cum mare hoc transare satagunt in scyllam & charybdin inciderunt. Nequaquam; nemo sine fide hic nauigare potest; & rationi humanæ hic illud Samaritanæ occini potest, *puteus altus est, & in quo haurias non habes.* Mysterium enim hoc adeo profundum est, ut naturalis ratio nulla habeat argumenta, verba, similitudines, capacitates, quibus hoc cognoscat, quamobrem satius iudico summa cum humilitate ipsum adorare, quam curiosius id indagare & enucleare velle. Ita olim scripsit Innocentius Papa III. *Credere subtemur, dicere prohibemur.* Atque ideo eum tam periculosum sim Oceanum ingressus & omnia illius littora radere velim; ne in eo naufragium faciam, duplici remo concionis meæ cymba agitabitur; primus Vbitatem Dei exquiret, alter Trinitatem personarum tangeret; cumque duplex hoc mare enavigauerimus, ad humilem adorationem velut in portum quietissimum tutissimumque cymbam subducemus.

Quod ad primum igitur spectat. Tanta olim creaturarum ratione præditarum exæcatio fuit & impietas adeo execrabilis, & natura olim adeo fera & siluestris, homines ut reperire fuerit barbaros & impios qui atheismum introducere, omnemque mundo diuinitatem proferbere sint conati. In finitos huiusmodi refert Eusebius in libris de præparatione Evangelica, atque inter ceteros Diagoram, Ortheuma, Theodorum Cyrenaicum, Eudmerum, Euagoram; Egiatem, Euripidē & plures alios, qui ferarū in morem credi-

Ezech. 47.

Mysteriū  
SS. Trinitatis  
torrens inuadibilis.

Hereticorum naufragiū in SS. Trinitatis oceano.

Item 4.

Lib. 4. m. 9.

Item 1. 6.

Lib. 14.

Præpar. 6.



credidere, simulque edocuerunt, nullum in mundo numen existere. Deus aliquis an esset, dubitavit Protagoras, cumque hæc de re scripsisset, adeo impium hoc Atheniensibus visum, ut publico senatus consulto, libri illius exusti, eiusque opinio velut impia & scelerata iudicata sit.

Exceptis pauculis his, qui monstra potius quam homines fuisse putandi sunt, nullus omnino reperietur populus aut natio, quæcunque demum in orbis angulum descenderimus, quæ non numen aliquod agnouerit, aut plura saltem, quæ in cælum terramque dominantur: *Nulla gens est tam inconsecta, nec tam ferrea, quæ non, etiam si ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.* Hæc Cicero, atque hæc Epicuri esse opinionem censuit. Ac deinde Deorum naturam describens eos vt esse asserat, hoc vsus est argumento; *In mundo Deus est aliquis, inquit, qui regit, qui gubernat, qui cursum astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinemque conseruat, terras & maria contemplantur, quid dici verius aut certius potest?*

Verum quidem est, hæc diuinitatis assertionem variis erroribus implicatam fuisse, variaque mendacia in se comprehendisse, nam cum paulatim homines à Deo vno diuarent, plura sibi numina constituere, atque infinitos in mundo Deos fabricari sunt. Eusebius supra allatus refert ex Hesodo, triginta Deorum apud veteres, millia fuisse, quod vnus è numero Prophetarum nostrorum deplorans, hunc in modum locutus est, *Repleta est terra eius idoli, opus manuum suarum adorauerunt ac Creatorem suum deseruere.*

Fuit reuera generalis quædam cæcitas sed tamen non nisi error quidam popularis: sapientes enim Philosophi & doctissimi quique Gentilium qui in magno naturæ libro non nisi vnum Deum esse, nec plures esse posse. Aristoteles pluribus locis in scriptis suis testatus est, dum ostendit non nisi vnum primum ens esse, vnam primam causam, vnum primum motorem, in causis non dari progressum in infinitum, sed ad supremam quamdam causam perueniendum, à nulla alia dependentem, sed à qua cetera de-

Tom. 2. Pars. Æstiuæ.

pendeant: ac deinde à particulari sua opinione ad generalem transcendens, ait omnium hæc sententiam fuisse, & duodecimo Metaphysicorum hæc confirmans adeo hoc clarum esse confirmat, nullum vt magister sit qui hoc doceat necessarius.

Idem deinde M. Tullius scripsit, atque veritatem hæc anticipationem naturæ appellat; idque primo naturæ lumen nos docet; prima enim lectio quam sensus communis & naturæ lex docet est, vnum esse Deum, à quo condita sint omnia. Hanc opinionem quod sustineret Socrates ab Atheniensibus cicutam bibere coactus est, vt testatur Augustin. lib. 8. de ciuitate Dei. Pythagoras in exilium missus & à patria proscriptus ob simile non crimen, teste Eusebio lib. 1. de præparat. Euangel. cap. 10. & S. Hieronymo Epistola ad Paulinum S. Ioan. Damasceno libro de fide orthodoxa & Eugubino in libro de perpetua Philosophia. Cui opinioni omnes Græciæ sapientes suffragati sunt.

Quin & S. Cyrillus Alexandrinus in ueterna in Iulian apostatam egregiam de hoc subiecto historiam narrat. Piscator in Milesia regione verriculum trahebat, & ecce inopinato magni ponderis auream mensam eduxit. Cumque propter nouitatem rei & magnitudinem pretii quid ageret nesciret, placuit Apollinem Delphicum consuli, quid de mensa fieret, Deus respondit illi, esse dandam, qui sapientia ceteros præstaret:

*ὅς σοφίᾳ πάντων πρέσβυτος ἔστω τριπλοῦν ἄνθρωπος.*

Tum Milesi communi consensu Thiauti mensam dedere, qui tum omnium mortalium habebatur sapientissimus. is eam accipere renueos, Cleanthi cessit, Cleanthes Perandro, is protinas alii, atque ita in orbem iterum est, donec tandem Deo cessit Delphico, vt qui omnium & sapientissimus & potentissimus fuisset & futurus esset.

Post longam hæc Ethnicorum seriem docet scriptura, solos stultos, & fatuos hæc veritati resistere & aduersari. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Nam tamen: Ambrosius, Cassiodorus, Hugo Caro, & Paul. Burgens. de Iudæis locum hunc intelligat: Christum Deum

G

Deum



Deum esse negantibus: tamen de omnibus omnino Atheis & impiis hoc dicendum est, qui diuinitatem negantes, vere se fatuos & stolidos ostendunt. Psalmista igitur eorum blasphemias & impietatem declarans, in corde eos solum hoc dixisse ait, non vero lingua ausos esse pronuntiare, si enim palam & aperte protulissent non esse Deum, omnes eos creaturæ mendacii insimulassent, quæ unanimi consensu clamant & à Deo se creatas, & quotidie conseruari, *Ipsè fecit nos, & non ipsi nos.*

II.

Adeo porro certū & manifestum est, Deū quemquam totius vniuersi præsidem rectoremque esse, vt hoc & cæci videant, bruta intelligant, & muta, illius mirabilia decantent ac deprædicent. Quod ex ore Psalmographi aucter pronunciet, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum:* quasi diceret, cælum vna cum stellis lingua linguarum est: liber quidam publicus & communis semper apertus, schola, in qua magni huius magistri scientia edocetur, chorus, in quo noctū diuq; illius laudes decantantur, oraculum denique, quod declarat nonnisi vnum Deum in mūdo esse. Hanc vt veritatem ostendat, cælos ait hoc testari, & quamuis lingua careant, illius tamen gloriam & laudes depromere, vt quæ vere denoret, qualis sit Deus, nunquam illum quiescere, semper aliquid moliri, ait à firmamento manuum illius opera exercitorumque dignitatem annuntiari.

Cæli Dei gloriam enarrant,

Deus semper operatur.

Psalm. 18:

Protogenis iudiciū de linea Appellis.

Dauid Rex hac in fide cōfirmatus, ostensus nihil adeo certum, adeoque euidens in mundo reperiri, quam vnius verique Dei præsentiam, metaphorice loquens ait, in sole illum solum ac thronum suum constituisse, vt ita ab vniuerso mundo videri cognosci que possit: *In sole posuit tabernaculum suum.* Ahud nihil innere vult, quam Deum à seipso adeo intelligibilem ac perceptibilem esse, vt oculos sustollere duntaxat oporteat, & vel aliqua iudicii portio necessaria sit ad maiestatem & potentiam illius agnosendam.

Dicitur Protogenes pictor Appellem ex vnius lineæ ductu agnouisse: qui fieri posset igitur Deum, tot tamque egregius operibus

productis nobilem, tam præclarū opificem, qui è nihilo condidisset omnia sub intellectus nostri captum non cadere.

Certo certius quippe constat, & nouere omnes, Deum magnum illum Atlantem esse, qui potentia suæ humeris vtrumque orbis cardinem sustentat: ipsum primum mobile esse, quod sphaeras omnes inferiores mouet ac moueri facit, à nullo tamen mouetur: Esse solem qui præ ceteris sideribus resplendet ac rutilat, ceterisque astris dominatur, cuius nos igniculi & stellulae sumus: esse vastum illum oceanum, qui numquam intumescit, aut exhauritur, cuius creaturæ omnes flumine ac riuli sunt: esse primariam illam essentia nostræ originem, cuius nos numerus sumus: esse illud esse infinitum, in finite perfectum & infinitis generib. distinctum; quodque adeo infinitum est, vt in hoc mundo contineri nequeat, sed extra illum collocandum sit, imo & in locis imaginariis: esse magnum illum creditorem cui omnes debent, quiq; primam in bona nostra vitam & esse nostrum hypothecam habeat: esse magnū illum naturæ Dominum, cuius iustia per omnia extenduntur, qui essentia, præsentia, & potentia vbique præest. *Quo à face tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum; ades.*

Ecce quomodo omnes de hac diuinitate philosophentur, sed quid nouimus quidem Deum esse, sed qualis sit, dicere nemo potest: atque ipsum difficillimum est, nec nisi mediantibus creaturis eo peruenire licet, & primam illam causam nonnisi ex effectu agnoscimus, nonnisi *in enigmate hic videmus* *Speculum*, & nonnisi per ea quæ facta sunt ipsum intelligimus. *Inuisibilia enim ipsius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Quod egregia figura exornabo.

Moses Dei iussu duas in tabernaculo Cherubinos efformauit, qui alis se mutuo tangebant, simulque arcam Domini fulciebant: Ad quorum imitationem fecit Salomon Rex alios maiores, quos in medio templi collocauit, sed ea inter utrosque erat differentia, quod Mosaiici arcam intuerentur, plane in eandem oculos defixos haberent: at Salomonici nonnisi oblique, nam facies adie-

Dei nomina.

Psalm. 18.

Exod. 7.

3. Reg. 6. 2. Paral. 1.



ad templum obuersas habebant: *Ipsi autem stabant erectis pedibus, & facies eorum erant uersa ad exteriorem Domum.* In utraq; hac figura utriusq; Ecclesie tam triumphantis quam militantis status designatus est: Deus enim presentis in omnibus inque medio nostrum uersatur, tam in terra quam in celo in medio beatorum. Hoc tamen discrimine: quod hi instar Cherubimorum Mosaicorum Deum fixe directeq; intueantur, & facie ad faciem prout reuera est contemplantur; nos uero, ut Cherubini Salomonici, qui ad naturę ianuam respicientes non nisi oblique & cognitione ad posteriori illum cernere possumus.

Eand. 33.

Dei postea hic in terra uidentur.

In huius rei similitudinem scriptum est in Exodo Mosem cupidum Dei oculis corporis cognoscendi, uti mentis oculis illum per speculum habebat, hac eū oratione aggressum esse: *si ego inuenigratiam in conspectu tuo, ostēde mihi faciem tuam ut sciam te.* Sed cupiditatem hanc eius represit Deus: *Uidebis posteriora mea, faciem autem meam uidere non poteris.* Quo firmatur id quod iam enarraui, hac in uita clare Deum uideri non posse; hoc siquidem beatis in celo reseruatū est: hic enim non nisi posteriora, id est, effectus illius & opera, ac non nisi creaturarum adminiculo uidemus. Eodem modo uidebat illum sponsa in Canticis dum diceret, *Ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras prospiciens per cancellos.* Quid enim est uidere Deum post parietem latitantem, per fenestras & per cancellos respicientē, quam obscure & non nisi per creaturas illum contemplari? cælum paries est, quod illum à nobis abscondit, creaturæ uero fenestræ & cancelli per quos eum aliquo modo idque diuersimode cognoscimus.

Diuerse pingendi sculpendi que rationes.

Sculptores & pictores diuersa in sculpendo pingendoque procedunt uia, illi demendo, hi addendo: statuarius enim & sculptor lignarius ut imaginem quampiam eleuatam efformet, uetustum truncum dolat, semperque refecando & unum membrum post aliud adaptando, egregiam tandem imaginem constituit. Pictor uero è contra tabulam depicturus, colorem colori addit, umbram umbræ, atque ita tabulam perficit. In mundo hoc inferiori idem omnino nos fa-

cere solemus, similiq; ratione ad egregiam cognitionis ueri DEI in anima imaginem efformandam procedimus. Modo per subtractionem & demptionem ea refecamus & auferimus, quæ Deum dedeçant, quæque illius naturæ repugnant: negamusque eum mortalem, passibilem, finitum, mutabilem esse, hanc uiam secutus est Philosophus Plato dicens, *Quid Deus sit non noui: quid non in Timæo. sit, noui: nam scio non esse colorem, neque quidpiam huius generis, sed his præstantiorem esse intelligo.*

Eidem semitæ insitit magnus Augustinus, hunc in modum Philosophando. *Deus, Lib. de Speculo, c. 7. est magnus sine quantitate, bonus sine qualitate, omnia continens sine habitu, ubique presens sine situ.* Dicere uolebat Deum esse quoddam esse transcendens, quod in se generaliter contineret quidquid speciatim particulatimque in creaturarum domo reperitur: & annon hoc per subtractionem procedere est, cum Deo qualitatem, quantitatem, habitum, situm, aliaque imperfectiones auferimus?

Interdum additione ad illius perfectionem ascendimus, perfectionemque perfecti-  
III. Viæ quib. ctioni, esse esse, magnitudinem magnitudini Deum in superimponentes, tandem ad esse quoddam mundo infinitum procedimus, quod in se continet cognoscimus. omnia, & à quo cetera dependent: atque hac uia fit, ut Deum substantiam quãdam perfectissimam, actum purissimum, bonum summum, denique finem & initium rerum omnium dicamus. Hac uia processere plerique gentilium & fideles omnes. Inter gentiles Mercurius Trismegistus in primis decet, Deum spheram quãdam intellectualem esse, cum centrum est ubique, circumferentia nusquam. Refert Suidas, Græcos credidisse Deum immortale, rationale, perfectum, spirituale quid esse & beatum, quod malum recipere non potest, quod mundum & quæcumque in mundo sunt gubernat.

Inter fideles Philo Iudæorum disertissimi. *Lib. de confus. lingua. re omnia non contentum, sed continentem, In distinct. & solum esse ubiq; & nusquam esse. Scotus 2. q. 2.*

G 2 deinde



deinde omnium scolasticorum nomine credidit, Dei nomine Ens necessarium, independentens, increatum, immobile intelligi. An non diuinæ quædam hæc sententiæ, sed gentile quoddam hic subnecta hieroglyphicū.

S. Cyrillus Alexandrinus aduersus Iulianum Apostatam scribens, ait apud veteres Ægyptios Deū raro quodam schemate expressum esse: pingebant enim oculum qui vniuersa contempleretur scepro affixum recto: per sceprum regiam illius dignitatem ac potentiam, per rectitudinem, iustitiam, æquitatemque, per oculum prouidentiam figurari putabant. Ipse mihi persuaserim de scripturæ nostræ scriniis hoc illos esse mutatos; ipsa quippe hæc omnia Deo adscribit. Sceprum quidem attribuit Ezechiel, *subiticiam vos scepro meo*: oculi vero Psalmista affigit, *Oculi Domini super iustos*. Omnia vero vno in hieroglyphico comprehensa vidit Hieremias, dum virgam rectam, scepri instar efformatam, & oculum præferentem vidisse se narrat, *virgam vigiliatæ ego video*. Hæc sunt quæ de Dei vnitæ fuere opiniones, hæc sunt quæ de Deo totius naturæ auctore, & rerum omnium parente credidit antiquitas.

Sed nihil est, Auditores; littora profunda huius maris rasisse, nihil est pauca hæc de diuinis attributis perfectionibusque dixisse; iam laxanda vela & altum petendum, iam vastus & immensus, terribilisque SS. Trinitatis oceanus conscendendus; Spiritus sanctus cymbam conducet, malus erit mētis demissio, fides vero helice & pharos nauiganti futura est, sed priusquam ancoram soluamus Abrahamum imitemur oportet, qui Deum in mōris vertice adoraturus, seruis, vt inferne cum asinis operiretur imperauit, & solus ipse vna cum filio mōtem gladium & ignem gestans conscendit, inauditum illud obedientiæ opus effecturus, dixitque ad pueros suos, *Exspectate hic cum asino*; Ego autē & puer illuc & que properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Nobis hoc loco idem omnino faciendum assero; hodie quippe altum mysterii diuini olympum conscensuri, ad eundem Deum in personam Trinitate adorandum, rationes naturales, argumenta

Philosophica, ratiocinationes humanas qui serui & mancipia animæ, & asinum sensus communis inferne relinquere debemus donec summo mysterii huius vertice conscenso, gladium verbi Dei vna manu, ignem & lumen fidei altera præferentes, summa animi demissione humilitateque magnum hunc DEVM in tribus personis adorauerimus.

Hic sane sensibus valedicendum, hierationum humanarum consilium negligendum, quamuis enim lumine naturali Deum esse & vnum esse agnoscamus, non idcirco tamen tribus distinctum personis illum scimus, hoc quippe nos docet fides. Etæ Prophetæ hoc egregie repræsentatum, cum sacrificulis Baal interfectis, illi dictum est, *E-3. Reg. 9. gredere & sta in monte coram Domino*. Euece vt ait scriptura, transeunte coram illo Domino, ventorum fragor & procella vehemens qua montes euerit & petra fracta, exaudiri cœpit, in turbine tamen Dominus non erat: post turbinem vero ingens terræ motus factus est, nec hic aderat Dominus, effulsit & ignis, nec in flamma hac apparere Dominus voluit: sed tandem leuis quædam aura efflare cœpit, quam cum Elias audisset *operuit pallio vultum suum*.

Mirum profecto, Prophetam hunc nec Allegoria ad ventum turbulentum, qui montium cacumina quatibat, nec ad concussionem terræ, nec ad fulgurantem per nubila ignem, vultum operuisse, sed ad Zephyri & auræ lenioris crepitaculum. Designatum hic forsitan fuit in effectibus; qui omnipotentiam, sapientiam & bonitatem Dei declarant, nihil adeo admirabile reperiri, nihilque quod captum ingenii excedat, sed omnia hæc apertis oculis & libere cognosci posse; at vbi lenis diuinarum personarū aura flare cœpit, eum de mysterio SS. Trinitatis sermo est, adeo hoc subtile, tenerum ac delicatum est, vt hominis facies hoc facere nequeat, & oculi hic conuincant. Idcirco dictum est Prophetam non modo oculos, quod humilitatis & reuerentiæ signum, occlusisse, sed os quoque pallio cooperuisse, vt ostenderet mysterium hoc ineffabile esse, & per creaturas non posse agnosci.

Ezech. 20.

Psal. 33.

Hierem. 1.

Gen. 22.

Mysterium SS. Trinitatis ineffabile.



Salomon, quidquid in mundo ad intelligendum difficile reperiretur: recensens, dicere solebat, tria esse adeo obscura & inuoluta, vt nulla ratione eadem posset percipere, volatum aquilæ per nubes, reptionem colubri per petram, & vestigium nauis per medium gurgitem. Audite verba eius: *Tria sunt mihi difficilia, via aquila in caelo, via colubri super terram, & via nauis in medio mari.* Difficultatis huius hæc erat ratio, quod tria hæc nullum transitus sui relinquerent vestigium, per quod cognosci possent. Et quamuis literaliter aut spiritaliter de mysterio ascensionis in aquilæ volatu, & resurrectionis in serpentis motu, & de conuersatione ac vita Iesu Christi in nauigii cursu loquatur: huic tamen proposito id apte accommodari potest: nam vt via hæc adeo scabrosa & salebrosa sunt, quod nullum suum relinquant vestigium, ita quoque mysterium hoc adeo subest, adeo sublime euolat, tamque profunde in mirabilium mari excurrit, nullum vt vestigium, è quo cognosci queat, relinquat, & quoniam per nullam creaturam exprimi potest, ideo à creaturis cognosci, vel verbis exprimi nequit.

In libro Iob, Helu filius Barachelis Buzitis hæc de reagens, dixit olim Deum magnam esse in fortitudine & iustitia mercedum eiusque opera mirabilia enarrari non posse. *Magnus, inquit, fortitudine & iudicio & iustitia, & enarrari non potest.* Deum trinum in personis intelligit, dum ait enarrari illum non posse, alioquin enim de eo loqui quis potest & mira de eo enarrare? Idem quoque tetigit in puerbis Salomon, dum hanc questionem proponit, *Quod nomen est eius & quod nomen filii eius? si noster.* Quasi diceret, Quamuis per creaturas Deus agnosci possit, per easdem tamen nomina Patris aut Filii, & relationes illas nimis sublimes, nemo intelligere potest: eius enim generatio est ineffabilis, Generationem eius quis enarrabit?

Vidit Isaias Propheta olim Dominum in sublimi throno considerentem, cuius maiestas domum vniuersam repleuerat: illud iuxta astantabant superne Seraphini sexalis instructi, quarum duabus faciem velabant, duabus pedes tegebant & duabus ad volandum ute-

bantur: sed verba scripturæ producamus: *Seraphim stabant super illud, sex ala vni, & sex ala alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant, & clamabat alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.* Scio diuersimode visionem hanc à Doctoribus exponi. S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 8. & Cyrillus lib. 12. thesauri cap. 2. & S. Hilar. libro quinto aduersus Arrianos de Iesu Christo exponunt: sed e contra S. Athanasius libro primo de Trinitate, Basilus lib. de Spiritu sancto contra Eunomium, & S. Augustinus aduersus Adimantum Manicheum, de SS. Trinitate explicat: eo quod Seraphim ter *Sanctus, Sanctus, Sanctus* clamarent, quod non nisi de pluralitate personarum exponi potest: quod autem faciem Domini alis suis obtegerent, ostenderunt, neminem in hac vita mysterium hoc intelligere posse, nisi obscure admodum & per ænigmata perque creaturarum velum: dicere vero quod alis caput pedesque quæ duæ corporis extremitates sunt, obtegerent: fuit ostendere, comprehensibilem Dei cognitionem haberi non posse. *Deus enim, vt scholastici docent, comprehendendi non potest.*

Admirabilis hæc veritas sub egregio quodam inuolucro Ezechieli designata fuit, *Et mensus est templum interius & vestibula, arri limina & fenestras obliquas, &c.* Vnde colligere est, SS. Trinitatis in tribus personis mysterium ingenio nostro dimiti non posse, nec per creaturas; quæ non nisi fenestras obliquas sunt, clare & directe cognosci, sed obscure duntaxat & viis immediatis. Sanctissimam Trinitatem autem hic denotari, testis est D. Hieronymus. Equidem dico sine fide nihil hic penitus videri, sed hæc duce, mira quædam & eximia vobis recensabo.

Sublime, augustum ac venerabile SS. Trinitatis mysterium in eo situm est, quod tribus in personis eadē sit natura: & quemadmodum non nisi vna hic natura, vna substantia, vna essentia, ita quoque non nisi vnus sit Deus, vnus creator, vnus omnipotens: sed tres quidem personæ, quæ æqualiter & æterne naturam hanc participant, atque hæc tres non nisi vnum sunt. Ceterum substantiam diu-

IV.  
In quo SS.  
Trinitatis  
mysterium  
situm est.



dere blasphemum est, quinimo sacrilegum esset personas confundere. Vnde hoc axioma tradit Boetius, *substantia in diuinis continet unitatem, relatio autem multiplicat Trinitatē.*

Vt mysterii huius sublimitas à fundamētis excutiatur, notandum venit, in diuinis duas esse processiones, tres proprietates, quatuor relationes, & quinque notionēs (veniā date, auditores, si hodie adeo sublime euolem & ultra ingenii captum transcendam: ipsa materiā me euehit altitudo, atque animam violenter abripit.) Notiones sunt ad personas discernendas & cognoscendas, relationes quæ contrariæ sunt, easdem constituunt, processiones vero fulciunt. Non nisi binæ sunt processiones: cum enim Deus vnica natura sit penitus spiritualis, non nisi per intellectum vel voluntatem agere potest.

Duæ processiones in diuinitate.

Ceterum per processiones Theologi spirituales & intellectuales emanationes intelligunt, id est emanationes internas, quæque extra cognoscentem non egrediuntur. Processio ex parte intellectus, quod actio quædam intelligibilis sit, ac proinde actio vitalis, generatio appellatur, verbum quoque, quod inde procedit, Filius dicitur, ac processio ex parte voluntatis spiratio dicitur: quod spiratur, amor dicitur, qui Spiritus sanctus est. A deo vt generare in diuinis, auditores, aliud non significet, quā cognoscere. Pater siquidem æternus æternæ se & infinite cognoscēs in se ipso veram sui imaginem: quam verbum, & ob naturæ identitatem Filium dicimus (simile enim generat sibi simile) producit: Deinde Pater & Filius infinito se amore diligentes Spiritum sanctum spirant, velut amorem, vinculum & combinationem vtriusque, ô paradoxa!

Quid sit verbum mentis.

At nondum hic subsistimus, sed vt ad maiorem mysterii huius cognitionē perueniamus, huc adeste Philosophi: dicite, dū quidpiam cognoscitis, an non in mente vestra veram rei cognitæ imaginem & figuram effingitis, quod *Verbum mentis* dicitur! Fateor & perspectū habeo, actionē illam quia rem illam cognoscitis, vere generationē dici non posse, nec verbum quod cōcipitis filium nominari: quod non nisi accidēs sit, nec eiusdem naturæ cum subiecto è quo emanat: at nul-

lum in diuinitate accidēs, sed mera substantia: atque ideo vera generatio est, & verbum quod gignitur eiusdem omnino naturæ, vere nomen filii habet: idque nullo maiori iure: quam filii qui naturali via generantur à Patribus. Patres enim mortales non nisi guttam ac breue quoddam substantiæ suæ speciemen communicant: at Pater æternus omnem suam substantiam filio communicat, *Psal. 109.* largitur & profuse erogat. Hoc iam olim prædixit Psalmista, *Ex vtero ante Luciferum genui te:* & ab Euangelistis dicitur. *Omnia tua mea sunt.*

In mundo non semper filii Patres facie referunt: At verbum æternū vera Patris imago est. Audite quomodo hoc asserat Apostolus, *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenit⁹ omnia creatura.* Quam similitudinem Filius ipse testatus, ita Philippo hoc significauit apud Ioannem, *Philippe qui videt me, videt & Patrem.* Apostolus deinde figuram substantiæ Patris illum appellat, *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* Ac multo prius à Salomone speculum immaculatū dictus est, *Speculū sine macula, & c. ador lucis æterna.* Egregia metaphora, qua denotatur, quod, quemadmodū in speculo insignis imaginis figura apparet, & homo eiusdem aspectu delectatur, seseque ipsum intuendo ad sui ipsius amorē excitatur, ita quoque magnus ille Deus, suam cōtemplans essentiam in ea suam imaginem, quæ est filius, progignit, atque eam insignem esse videns, in eadem sibi complacet (*Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi beneplacui*) Pater vero & Filius hinc se mutuo amantes Spiritum sanctum producent.

Concludamus igitur, in mysterio Trinitatis tres personas esse sibi maiestate per omnia æquales: Patrem qui gignit & spirat, Filium qui non gignit, sed gignitur & spirat, omnia cō-Spiritum sanctum denique qui nec gignit munia suæ nec spirat, sed ab aliis duabus procedit. Patri vbi nulla potentiam damus, Filio sapientiam, Spiritui sancto vero infinitam bonitatem: tamen in eo quod absolutum est, nullamque relationem continet, omnia communia sunt, nihilque distinctum. *Omnia enim in diuinis sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.*

Quam.



Tri-  
ni-  
tas  
my-  
sterium  
est  
quod  
in  
natu-  
ra  
reperi-  
tur.

Quamvis autem hæc omnia adeo subli-  
mia sunt, itaq; à sensib. remota, nihil vt in v-  
niuerso creaturarum thesauro, ne in natura  
reperiatur, quod plenam & perspicuam iu-  
sticiã illorũ afferre possit: è sacra scriptura ta-  
men certissima quædam argumenta elicere  
possumus: quin & in creaturis quædam re-  
periuntur, quæ imaginem illorum aliquo-  
modo præferant, nolque quam proxime eo  
deducât. Quod ad sacra testimonia spectat,  
Regius vates Dei nomen tertio repetens, *Be-  
nedicat nos Deus, Deus nos, Benedicat nos  
Deus*, tres agnoscere personas videtur: sed  
quando è tribus non nisi vnum supremum ac  
metuendum Deum constituit, dicens, *Et ma-  
tuant eum omnes tribus terra*, nature vnitatem  
cogitetur. In Isaia seraphini tertio claman-  
tes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* personarum ite-  
Trinitatem consentitur, sed in vnum *Domini-  
num exercituum* desinētes, essentia vnitatem  
denotant, sexcenta huiusmodi in sacro vo-  
lamine testimonia reperire est, sed eadē stu-  
dio præteriens ad figuras me accingam.

Isaia 40.

Gen. 1.

Legitur in Genesi, Abraham, paulo ante-  
quam Sodoma euerteretur, tres viros in do-  
mum suam descendentes vidisse, sed vnum  
duntaxat adorasse. Vnde canit Ecclesia, *Tres  
vidit sed vnum adorauit*. Tres hi viri SS. Tri-  
nitatis imaginem ex omnium sententia gere-  
bant, quod vero vnicus tantum fuerit ado-  
ratus, denotabatur, quod quamvis tres sint  
personæ, tamen vnum tantum Deum admi-  
rabilem constituent: *soli Deo honor & glo-  
ria, &c.*

Deinde etiam Iacob Patriarcha Haram  
versus cum proficisceretur nocte quadam,  
cũ à somno opprimeretur: inque agro se ad  
dormiendum plurimis lapidibus capiti sub-  
stratis, composuisset, mane excitatus nonni-  
si vnum lapidem reperit pluribus ad vnum  
reductis, *surgens ergo Iacob mane tulit lapidem  
quem supposuerat capiti suo*. Hæc lapidum plu-  
ralitas, diuinarum personarum pluralitatem  
denotabat, quodque mane vnus tantum re-  
periretur, figurabat fidei die ac lumine, non  
nisi vnum natura Deum esse, nos agnoscere,  
quamvis ad vesperam & noctem obscuri-  
tatis huius mysterii personarum pluralitas appa-  
rebat.

Balthasar Babyloniorum monarcha, cum  
vniuersis regni Sarrapis ac Principibus epu-  
lum instituxisset, vidit ad candelæ lumen di-  
gitos parietis incognitos quosdam caracte-  
res inferibentes, quos nemo qui legeret in  
regno repertus fuit, *In eadem hora apparue-  
runt digiti quasi manus hominis scribentis con-  
tra candelabrum*. Digitos hos tres intuenti,  
occurrit quam primum, tres Trinitatis per-  
sonas hic indicari: quasi diuinitas quædam  
sit manus: at digitos, qui non nisi ad fidei  
candelabrum conspiciuntur, quiq; tam ob-  
scura & mystica adeoque mirabilia pertea  
ta scribunt, atque ægnimaticos caracteres,  
vt nemo Philosophus, sapiens nemo in mu-  
do eosdem legere possit.

Dan. 4.

Insignis  
SS. Trini-  
tatis figura

Ne quis vero hunc conceptum friuolum  
& inanem credat, eundem in sacra scriptura  
stabilis ostendam. Dictum quippe est in  
Isaia vniuersam terræ molem tribus digitis  
quodammodo librari, *Quis appendit molem  
terra tribus digitis*. An non per tres hosce di-  
gitos trix SS. Trinitatis personæ intelli-  
genda, quæ omnipotentia suæ manu totam  
vniuersi machinam, ac terræ globum susten-  
tant.

Isaia 40.

In Ecclesiaste mentio fit funiculi triplicis,  
qui difficillime diffringitur, *funiculus triplex  
difficile rumpitur*. Hebraica vero Phrasi ad  
maeritiam nostram accomodatius: *Et filium  
trinum non cito rumpitur*. Galatinus mystice  
hoc interpretatus, ait sanctissimam Trinita-  
tem funiculum esse triplicem, difficile vero  
rumpi, quod Deum vnum in essentia & tri-  
nũ in personis facile nemo cognoscere que-  
at, *mysterium*, inquit, *trini & vnus Dei non  
facile nec cito discernitur*. Solus Ioannes Evan-  
gelista aperte de hoc locutus est dicens, *Tres  
sunt qui testimonium dant in caelo, Pater & Ver-  
bum & Spiritus sanctus, & hi tres vnus sunt*.

Eccl. 4.

Lib 2. c. 4. de  
Trin.

Ioan. 5.

1. 4. c. 1. 5.

At quamvis plurima nobis scriptura loca  
suggerat & figuras suppeditet, è quibus san-  
ctissimæ Trinitatis mysterium astruere pos-  
simus: natura tamen ipsa non minora pau-  
cioraue dat argumenta, similitudinesq; qui-  
buscum hanc conferre merito valeamus.  
Primo enim in nobis ipsis & in agro dome-  
stico animam reperire est, quæ cum non-  
nisi ex vna essentia & substantia subsistat,  
triplici

Anima SS.  
Trinitatis  
imago.



triplici tamen facultate & potentia pollet, habet quippe anima intellectum, voluntarē & memoriā, quæ à se mutuo distinctæ & diuersæ sunt, nullamque inter se affinitatem habent, non vero ab anima diserent. Idem omnino in sanctissima Trinitate videre est, in qua non nisi vna essentia, vna natura: sed tres personæ, & personæ à se inuicem distinctæ, sed aliquo modo à natura. Quod authoritate S. Anselmi & S. Bonauenturæ confirmo, qui hanc ipsam similitudinem iam olim asserue-

In moral. c. 58. in itinere vario mentis.

re, audite S. Bonauenturam. *Constat vnum quemque nostrum se ipsum flagrantissimo amore diligere, minime autem se diligere, nisi se intellexeret; non autem intellexeret, nisi sui meminisset; vnde liquet ex sui recordatione atque memoria oriri intelligentiam, ex intelligentia vero sui amorem, &c.*

Sol mysterium SS. Trinitatis repræsentat.

Sol lucida illa mundi fax, mirabile naturæ opus, omnis motus Princeps, influentiarum Dominus, non minus mysterium hoc Trinitatis repræsentat. Tres enim in hoc Planetarum Rege videtur cet partes & eas à se inuicem distinctas, primo corpus solare, deinde lumē & calorem, quæ tria tamen non nisi vnum constituunt solem: sol lumē producit, lumen vero simul & sol calorem, vnū tamen altero non est prius. Vera hic SS. Trinitatis imago hæc, in qua tres personæ non nisi vnum constituunt Deum. Pater solis instar Filium velut lumen gignit, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Pater & Filius Spiritum sanctum producant, qui calor & amor est, & vnus altero non est prior aut antiquior. Magnus Areopagi honor Dionysius primus similitudinem hanc reperit, dum ait, *Laudatur Deus in Sole tamquam in expressa imagine & primitiua forma totius diuinitatis.*

Ioan. 1.

*Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Pater & Filius Spiritum sanctum producant, qui calor & amor est, & vnus altero non est prior aut antiquior. Magnus Areopagi honor Dionysius primus similitudinem hanc reperit, dum ait, *Laudatur Deus in Sole tamquam in expressa imagine & primitiua forma totius diuinitatis.*

Lib. de diuinis nominibus.

Mathematici inter ceteras suas figuras magni facere solent, triangularem isoscelon, quæ tres habeat angulos æquales & eandē basim. Equidem nihil esse crediderim quod melius simul & scitius Trinitatis mysterium repræsentet hoc trigono. Quid enim aliud est Trinitas quam trigonum, sed trigonum isoscelon: tres diuinæ personæ, potentia æquales, æternitate pares, maiestate similes, & miraculis sibi mutuo respondentes, tres an-

Trigonon isoscelon vere imago SS. Trinitatis.

guli æquales sunt, quæ non nisi vnā eandemque basim habent, id est, naturam personis tribus communem.

Oxalus gemma, teste Plinio, vnicommento tres distinctos in se colores dat conspicendos: ab vno enim latere si intuearis, ignitus & carbunculus videtur: ab altero purpureum aut rubicundum videbis; obliquè denique si videris, viridem smaragdum intueberis. Diuersicolor hæc gemma, SS. Trinitatis genuina imago est, mysterium enim hoc si intueamur & circumspiciamus, tres colores, id est, personas, reperiemus. Ab vna parte hoc conspicatus Moyses, vidit olim Patrem carbunculi instar & prunæ ignitæ rubricantem, & flammis accinctum, *Dominus Deus tuus ignis consumens est*, *Itaias deinde ab alia illum vidit rubrum, Quare rubrum est vestimentum tuum?* Ioannes denique in Apocalypsi obliquo illum intuitus, smaragdi instar viridem vidit, filium inquam, *Et vni circumcinctu sedis similis visioni smaragdina.*

Finem non reperire, Auditores si paradoxa & mirabilia subiecti huius prodigia referre pergerem, voluntatis meæ ductum hic sequeretur veritus ne hic me Oceanus absorbeat, & illius vorticibus immergat, vela cœtionis contraham, ancoram fidei eiciam, & in fidei infallibilis portum cymbam subducam, inquirere enim periculosum est, credere pium, & adorare honorificum. Valeant igitur curiositates, abscedant argumenta & quæstiones, procul hinc rationes naturales: hic nihil potestis, inutiles hic sunt vires, bolis vestra curta nimis, nec ad imam vsque abyssum pertinget, œculique nostri nimis lippientes, tantum vt splendorem sustineant. Scio enim materiæ magnitudinem omnium creaturarum facultatem excedere: satius proinde mihi visum, genibus prostratis illud adorare, quam pluribus id explicare verbis conari. Betfamitæ, quod curiosius arcæ arcana intuerentur & eandem inspicerent, Deum iratum senserunt, *qui percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Ne quid mihi simile contingat, Auditores, atque idem Deus indignetur, si curiosus illius scrutari mysteria, si quidquid intra mysterii huius

Dent 4.

Isai. 63.

Apoc.

X

1. Reg. 6.



huius arcam delituerit, p̄sumptuosus in-  
tueri volueris; finem hic facio, & c̄ptum i-  
ter delereus, nec longius procedens, in si-  
lento ipsum adorare, quam longioribus de  
illo verbis agere satius duco.

Iob. 1.

Mystica illa Ezechielis animalia, cum in  
sublime euolarent; vix vocem in firmamen-  
to reboantem audire, quin s̄stiterent vola-  
tum, & alas contraherent, *Nam cum vox fe-  
ret super firmamentum, quod erat super caput  
illorum, stabant & submittabant alas suas.*  
Docebant illa, ingenii nobis alas, cum de re-  
bus diuinis loquendum est, submitendas;  
atque horum animalium exemplo, cum ho-  
die tam sublime euectus sim, & audierim  
quæ supra firmamentum peragantur, quo-  
modo nempe Angeli ipsi & altissimi Seraphi-  
ni hoc mysterium, cum comprehendere  
nequeunt, supplices adorent, hic finiam,  
concionem abruptam, & ingenii mei fra-  
gilibus alis complicatis, solum mysterium hoc  
complectar fide, illis scripturæ verbis indu-  
ctus; *Nisi credideritis non intelligetis.*

Iob. 2.

Iacob Patriarcha cum nocte integra cum  
Angelo luctatus esset, adue; sariique nomen  
petiisset; videretque Angelus, importunis  
se Iacobi precibus virgeri, mane sub auroram  
abiturus ait; *Dimitte me, iam enim aurora  
est;* id est, causa ob quam me dimitti oportet,  
dies est, nec enim æquum est me à te  
videri diutius, ac deinde subnectit, *Cur qua-  
ris nomen meum?* quasi diceret, Nomen meū  
admirabile est, & ineffabile, an in eo cogno-  
scendo, expiscandoque laboras? Designare  
Angelicus ille Spiritus volebat, Auditores,  
nos, quamdiu in vitæ huius itinere versa-  
mur, non nisi sub spissis & obscuris fidei æni-  
gmatis diuina posse mysteria intueri, & tunc  
à Deo nos desereri ac derelinqui, cum Sole ex-  
orientem, & medio die, id est, lumine natu-  
rali, eadem contemplari noluerimus: & in-  
dignatur, curiositate nimia nomen suum ex-  
quiri, essentia mirabilia indagari, & de rela-  
tionibus æternis nos nimio opere sollicitos ef-  
se; omnia enim hæc vires excedunt natura-  
les, & penitus ineffabilia, incomprehensibi-  
liaque sunt.

Mysteria  
sacra non  
nisi sub fi-  
dei æni-  
gmatis vi-  
deri que-  
runt.

Princeps Apostolorum cum à Christo de  
Tom. 2. Pars Æstiva.

futura Ioannis morte curiosus inquireret,  
*Hic autem quid?* Audiuit quam primum re-  
prehendentem Dominum nimiamque cu-  
riositatem corripientem, *Quid ad te? tu me  
sequere:* id est, Tuum non est, diuinum hoc  
arcanum scire, sed me sequi; hoc fac, & illud  
omitte; hoc sine te decretū & statutum est,  
sine te etiam tuaque intermixtione execu-  
tioni mandabitur. Docemur hic non esse cu-  
riosius diuina inquirenda mysteria, ac præ-  
fertim SS. Trinitatis: hic siquidem tibi Deus  
multa interroganti ait, *Quid ad te?* hinc te  
proripe curiose, tuum non est tam mirabilia  
indagare; *tu me sequere;* id est, ad te spectat  
vestigii meis insiltere, tormenta mea imita-  
ri, ad supplicia properare, mortem amplecti  
& ingenii captum iis, quæ capere nequis  
subicere.

Ad hoc vos, & ob hoc exhortor, Audito-  
res, hic fidei vos clypeo armate, sobrie ac  
modeste de hoc mysterio loquamini, de in-  
effabilibus fari ne solliciti sitis, ne inquiretis  
abscondita, nec ea quæ Pater & Filius no-  
runt, & cui voluerit Filius reuelare, sed fidem  
firmam sinceramque seruate, in charitate ra-  
dicemini, imaginique Dei Patris, id est Fil-  
io vos assimilare, quem Catholica veritas  
genitum docet non gignere, & ab utroque  
Spiritu in essentia veritate procedere. Imita-  
mini Cherubinos Isaia, qui volantes oc-  
cludebant oculos, os vero ad Dei laudes præ-  
coniaque decantanda laxabant, *Sanctus, san-  
ctus, sanctus Dominus exercituum.* Hic scilicet  
oculi ocludendi, sensus in captiuitatem re-  
digendi, & ratio subiicienda, os vero ad my-  
sterium hoc decantandum, aperiendum; ad-  
mirantes vero id ipsum laudemus, laudap-  
tesque adoremus in essentia vnitate, & in  
personarum Trinitate.

O sancta, augusta, ac veneranda Trini-  
tas, mirabilium omnium maxime admirabi-  
le, electorum spes, beatorum gloria, natura  
miraculum, vniuersi filium, & creaturarum  
omnium origo: gloriosissima Trinitas Patris,  
Filii, & Spiritus sancti, cuius actiones ad in-  
tra, scilicet relationes, productiones, notio-  
nes, aliaque tam sunt ineffabiles, quam quæ ad  
extra, qualia creatio, conseruatio, proui-  
dentia, potentia, aliaque infinita, sunt ad-  
mira-

H

mira-



mirabiles. O natura indiuisibilis! persona distincta & aeterna! obiectum felicitatis nostrae, spei nostrae causa; in te credimus, nullum praeter te numen agnoscimus, nullum nisi te adoramus, tibi cor simul & animam offerimus. Pater omnipotens, Filius omnisciens, Spiritus totus benignus, vnus in tribus personis Deus. nostri miserere, delecta nobis ignosce gratiam elargire, & praesta, vt postquam te sub inuolucris, aenigmatibus & caliginosa fidei nocte in hoc mundo adorauerimus, in claritate meridiana, facie ad faciem in altero te videre mereamur, ad quem nos Pater & Filius & Spiritus sanctus, sanctissima illa vnitritas deducant, Amen.

*Hanc I. Dom. more Germ. De diuine Epulone reperiet Lector in Quadrag. Fer. 5. post Dom. II. f. 323.*

### DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Partitio.

- I. De excellentia misericordiae d. s. s. s.
- II. De vi & efficacia eiusdem.
- III. De incentiuo ad eam.
- IV. De iudicio temerario.
- V. De iniuria remittendis.

*Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est. Luc. 6.*

FIGURA.

Gen. 2.

**L**Egimus in Genesi, infinitum illum mundi opificem, & omnipotentem rerum omnium conditorem Deum magna illa & vere admirabili die, qua cuncta e nihilo condidit, atque in hunc mundum velut in scenam produxit, quo aeternam aeterni sui nominis in perpetuas aeternitates memoriam, ac luculentum aliquod manuum suarum opus in terra reliqueret; hominem ad imaginem & similitudinem suam condidisse: vt nimirum archetypo ipso ac genuino, diuinitatis exemplari in caelis permanente, figura eius atque imago, humanitati nostrae in sculpra, hic in terris collocaretur. Non satis de-

inde amanti illi in Canticis sponso fuit, imaginem suam a dilecta cordi inclusam gestari; at voluit, quo magis illa suam dilectionem manifestaret, vt eam ipsam poneret velut *signaculum super brachium suum*. O mysteria, & figuras! Primum profecto illud creationis opus & vehemens Amantis huius dilectio non alio respexerunt, quam vt homo viso ad imaginem & similitudinem Dei se conditum esse, quemadmodum natura & originem, ita & operibus eum quam proxime imitaretur: vt item anima, quae illius sponsa est, duplicem imaginem eius in se complecteretur; vnam quidem intrinsecus in animo qua perfecte eum diligit, alteram vero super brachium (per quod actiones designantur humanae) qua in omnibus suis eum operibus quam proxime imitetur ac referat. Ita vt, quemadmodum ipse Deus totius consolationis & pater misericordiarum est; nos, qui creaturae & opus manuum eius sumus, in proximum etiam misericordes simus; quemadmodum iustus & verax in omnibus iudiciis suis, eandem nos iustitiam ac veritatem imitemur; quemadmodum in diuitendo facilis, iniuriarumque in se a demissarum statim obliuiscitur; nos cum inimicis nostris in gratiam quamprimum redeamus. Docet nos hoc hodiernae diei Euangelium, quod in eo potissimum versatur, vt nos misericordiam, iniuriarum obliuionem, liuoris atque maleuolentiae fugam doceat, quod & ipse hac concione pro vrbibus docere conabor. Quod vt pro dignitate fiat, & ambo officio fungamur, vos in audiendo, ego in docendo; vnae nimirum suffragio Spiritus sancti gratiam, idque auxilio intercessionis gloriosissimae Virginis Mariae, quam proinde conuicta saluatione compellabimus, inuocemus.

AVE MARIA.

Magnum illud Episcoporum decus, antiquitatisque archiuum Isidorus, qui abhinc mille circiter annis, Imp. Heraclii temporibus in Ecclesia floruit, in Etymologico suo disquirens quidnam esset Misericordia, in hunc tandem modum eam definiuit: *Misericors à compatiendo alienae miseriae vocabulum. Etym. sortitus est: & hinc appellatur miseria, quod miserum.*